

de reformat. Sic decisum fuisse à Sacra Congreg. Concil. referunt Riccius in *praxi* part. 1. *resol.* 393. *vers.* Limita. quarto. Nec etiam Canonatus, nisi per modum suppressionis ut supra. Garcias ad *Regul. de Mensibus gloss.* 5. §. 7. num. 64. Ventriglia *loc. cit.* num. 21. & alii passim.

60 Neque potest unire beneficia capellanis etiam Cathedralis, quæ habent redditus tenues; quia Concilium *cit. sess.* 24. *cap.* 1. loquitur solum de Præbendis. Item neque Sacristia: Neque Fabrica. Sic decisum fuisse à Sacra Congreg. Concil. referunt Garcias de *benefic. part.* 9. *cap.* 2. num. 190. & Barbosa *supra* Concil. *cit.* *cap.* 15. num. 13.

61 Neque potest unire beneficia de Jurepatronatus, vel spectantia ad inferiores Collatores, & Electores, nisi de expresso eorum consensu, aliis talis unio esset invalida. Vide *supra* num. 40.

62 Neque potest regulariter unire beneficia liberæ collationis beneficiis de Jurepatronatus, ut expresse habetur ex Concilio Trident. *sess.* 25. *de reformat. c. 9. vers.* Insuper accessiones: ubi in hujusmodi uniones subreptitia declarantur, & tenentur *Leo thesaur. for. eccles.* part. 12. c. 16. num. 15. Garcias de *benefic. part.* 12. *cap.* 2. num. 91. Riccius in *praxi* part. 1. *resol.* 393. *vers.* Limita tertio. Ventriglia *loc. cit.* num. 28. & alii ea ratione, ne beneficia libera in servitutem redigantur.

63 Dicitur autem notanter Regulariter, quia in aliquibus casibus id potest Episcopus, Et primo quando Patroni renuntiant Jurepatronatus, quod ab omnibus concedi debet, utpote carens difficultate. Secundo quando concordant, ut beneficium Jurepatronatus alternativè conferatur; una vice ad patronorum præsentationem & altera ad liberam collationem, ut decisum fuisse à Sacra Congreg. Concil. referunt Leo *loc. cit.* in *fine*, Silius in *select. canonic.* *cap.* 18. num. 24. Ventriglia *loc. cit.* num. 28. in *fine*. Tertio, quando Ecclesia libera minatur ruinam, & habet tenuissimos redditus, tunc enim potest unire patronatæ cum reservatione Jurepatronatus, & onere impositionis illam reparandi, & dotandi in suis 70. prout fuisse decisum in una Tridentina 21. *Decembris* 1622. referunt Aldan in *Compend. Canonie. resolut.* lib. 3. tit. 8. num. 17. Ventriglia *loc. cit.* num. 29.

64 Episcopus non potest unire beneficia dignitati, quæ in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata non habet vocem in Capitulo, nec redditus ex Mensa Capitulari, licet deserviat in choro. Sic declarasse Sacram Congreg. Concil. die 19. *Decembris* 1585. ad *dict.* *cap.* 15. *sess.* 25. *de reformat.* referunt Ventriglia *loc. cit.* num. 34.

65 Episcopus potest unire seminario, ut commode regere valeat, aliquot beneficia simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, etiam si essent reservata, vel affecta, sine tamen cultus divini, & illa obtinentium præjudicio. Sic expresse Concil. Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 18. *vers.* Necnon beneficia aliquot simplicia: Barbosa *ibid.* num. 33. & de offic. & potest. Episcop. *cap.* 3. *allegat.* 77. num. 28. & lib. 3. *Jur. eccles. univers.* *cap.* 16. num. 30. Fuschus de *visita.* lib. 1. *cap.* 16. num. 9. Ventriglia *loc. cit.* num. 36. & alii passim. Et sic statuit novissime Benedictus XIII. constituit. *incip.* Creditæ §. 4. Vide *verb.* Seminarium in *fine*.

66 Non potest tamen ipsi seminario unire omnia simplicia beneficia, aliis talis unio esset nulla, quia Concilium dicit solum beneficia aliquot. Et sic decisum fuisse à Sacra Congreg. Concil. referunt Barbosa *supra* Concil. *cit.* *cap.* 18. num. 35. & *cit.* *allegat.* 77. num. 29. & in *Summ. Apostolic.* *decis. verb.* Beneficium seminario unendum; vel non num. 7. Molpès. in *Summa theol. moral. tract.* 6. *cap.* 14. d. num. 60. Riccius. & alii.

67 Nec potest seminario unire simplicia beneficia ad collationem inferiorum spectantia, neque Canonatus nec Beneficia Sed. Apostolicæ reservata post illorum vocationem. Sic decisum fuisse à Sacra Congreg. Concil. referunt Barbosa *supra* Concil. *loc. cit.* num. 34. & in *Summa loc. cit.* num. 6. Franciscus Leo in *thesaur. for. eccles.* part. 2. *cap.* 16. num. 23. Molpès. *loc. cit.* d. num. 60.

68 Nec potest unire seminario Canonatus Collegiatarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residen-

tiam. Sic decisum fuisse à Sacra Congreg. Episcop. in Aquilana 27. *Martii* 1590. referunt Barbosa *supra* Concil. *loc. cit.* num. 36.

Nec potest seminario unire beneficia Regularia, & que commendata sunt, seu Monasteria unita, aut annexa. Sic decisum fuisse à Sacra Congreg. Concil. referunt Nicol. Garcias de *benefic. part.* 10. *cap.* 2. n. 210. & Barbosa *super* *Trid.* *loc. cit.* n. 37. & 38. ubi asserit resolutum fuisse in *cap.* 26. *Junii* 1586. non posse uniri seminario beneficia Regularia, sive dentur in Titulum, sive in Commendam; secus vero si statum mutaverint.

Beneficia primo vacatura per Resignationem simplicem, non autem per conditionalem in favorem certæ personæ, unire potest Episcopus vigore Concilii *cit.* c. 13. Sic decisum fuisse à Sacra Congreg. ejusdem Concilii referunt Gonzalez ad *Reg.* 8. *Cancell.* *gloss.* 14. num. 10. Barbosa *supra* *Conc.* *cit.* *cap.* 18. num. 47. & in *Summa loc. cit.* num. 21.

Beneficiorum unio non potest fieri seminario non dum erecto, & in quo Scholares actualiter non adsunt. Sacra Congreg. Concil. apud Gonzalez ad *Reg.* 8. *Cancell.* *gloss.* 5. §. 7. num. 68. Barbosa in *Summa loc. cit.* n. 5. Garciam *loc. cit.* part. 12. *cap.* 2. num. 193. & 294.

Seminario unio non possunt Abbatis, Prioratus, & Monasteria Conistorialia, seu beneficia quovis modo Apostolica auctoritate commendata, obtenta, seu obtinenda per S. R. E. Cardinales, seu veros, & proprios Papæ Familiares, Nuntios Apostolicos, & Secretarios Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt: Sic novissime expresse statuit Benedictus XIII. constituit. *incipit.* Creditæ §. 5. quæ ad litteram refertur sub *verb.* Seminarium in *fine*, estque diligenter attendenda, & omnia supradicta juxta ejus dispositionem intelligenda.

Beneficium legitime unitum non dicitur amplius vacare, nec conferri potest Ludovic. *decis.* 77. num. 3. Ventriglia *loc. cit.* num. 27. Gonzalez ad *Regul. de mensibus gloss.* 5. §. 7. num. 7. & alii passim.

Uniones legitime factæ sortiri debent effectum, non tantum cum unita beneficia vacare contigerit per obitum, sed etiam per resignationem, eaque de re poterit Episcopus Datariam docere. Sacra Congreg. Concil. apud Garciam de *benefic. part.* 11. *cap.* 4. num. 35. & Barbosa *Summ. Apostol.* *decis. verb.* Unio num. 5.

Unde beneficium unitum non potest resignari ad favorem, non facta mentione de unione, aliis resignatio non tenet, & gratia est subreptitia. Rota *decis.* 3. *de verum permitt.* in *antiquis*, Oldrad. *consil.* 237. num. 20. & *seq.* Patens *decis.* 377. n. 4. lib. 1. Parisius *designat.* lib. 7. q. 9. num. 41. & *seq.* testans de communi.

Uniones perpetuæ à 40. annis citra ad publicationem Concilii Trident. factæ examinari possunt ab Ordinariis, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtenta fuerint, irritæ declarari debent. Sic expresse Concil. *Trid.* *sess.* 7. *de reformat. cap.* 6. Illæ vero uniones, quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantibus causis coram Locis Ordinatio vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constituerit, per subreptionem obtentæ censeri debent, ac propterea nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino carent. Ità expresse Concil. *Trid.* *loc. cit.*

Item per Regulam 12. Cancellaria ab omnibus Pontificibus fiet, & publicari solent postriede assumptionis ad Pontificatum revocantur omnes uniones, quæ suum non sunt sortitæ effectum ante publicationem dictæ Regulæ. *Communis*, textu expresso in *dicta* 12. *Regula Cancellaria.*

Dicitur autem Unio sortita effectum quoad dictam 12. Regulam, & citat. decretum Concilii Trident. *sess.* 7. *de reformat. cap.* 6. & *sess.* 25. *de reformat. cap.* 9. *vers.* Insuper accessiones: quando ipsius vigore capta, fuit possessio Beneficii uniti ante publicationem dictæ regulæ vel saltem in parte effectum sortita fuit tempore publicationis Concilii. Rota in *Burgen. Unionis* 26. *Nov.* 1588. *coram Orano & Communi Doctorem.*

Unio, cum sit quid facti, non præsumitur in dubio, sed probari debet ab eo, qui factum asserit. Rota *decis.* 577. num. 5. lib. 3. part. 3. *divers.* & *decis.* 223. num. 5. part. 1. *receptor.* & Doctores communiter.

81 Probatum autem Unio pluribus modis. Primo per authenticum instrumentum, seu litteras ipsius Unionis. Rota *part.* 10. *recept.* *decis.* 351. num. 2. & *part.* 11. *decis.* 305. num. 2. alibi. Secundo ex visitationibus Ordinarii, in quibus beneficium ut unitum visitatum fuit. Rota *part.* 10. *recept.* *decis.* 9. sub num. 11. & 21. *de* *decis.* 48. num. 7. Tertio ex enuntiativis antiquis, & multiplicatis. Rota *recept.* *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 441. num. 1. *part.* 7. *decis.* 50. num. 12. *part.* 8. *decis.* 246. num. 9. *part.* 10. *decis.* 152. num. 1. & *seq.* & alibi. Quarto per publicam vocem, & famam, & ex communi reputatione. Rota *recept.* *part.* 10. *decis.* 9. num. 6. & sub num. 21. Quinto ex diuturnitate temporis, & ex longissima observantia. Rota *recept.* *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 441. num. 4. *part.* 10. *decis.* 48. num. 6. *part.* 15. *decis.* 215. num. 12. Sexto ex actibus Jurisdictionibus exercitis in Beneficio, quod prætenditur unitum. Rota *recept.* *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 32. num. 16. Septimo ex denominatione beneficii tamquam membri, & pertinentiæ alterius. Rota *recept.* *part.* 7. *dec.* 50. num. 11. Octavo ex præsentationibus factis in vim Tituli Unionis. Rota *recept.* *part.* 9. *tom.* 2. *decis.* 330. num. 26. Nono ex creatione Vicarii perpetui cum assignatione congruæ, & onere solvendi certam portionem fructuum ipsi beneficio, cui Unio facta fuit. Rota *recept.* *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 485. num. 15. *part.* 5. *tom.* 2. *decis.* 441. num. 3. *part.* 10. *decis.* 152. num. 5. Decimo si possessor unius Ecclesiæ percipit pacifice fructus Ecclesiæ unitæ. Rota *recept.* *part.* 6. *decis.* 18. num. 8. Undecimo ex taxa annua illius Ecclesiæ tamquam subjecta alteri confirmata ab Exeatore Apostolico. Rota *receptor.* *part.* 10. *decis.* 152. num. 8. Duodecimo ex Domus, & Salariorum assignatione. Rota *part.* 10. *decis.* 48. num. 5.

82 Unionem beneficiorum dissolvere, & revocare potest omnis, qui potuit illam facere, *Communis*, de *argum.* *cap.* Omnis res i. de *Regul. Juris*, ibi: Omnis res per quamcumque causam nascitur, per eandem dissolvitur. (Lit. M, pag. 168. num. 28.) Et Episcopus dissolvere potest non solum unionem à se factam, vel à suo Prædecessore, sed etiam illam factam à Papa ex ordinaria potestate, non tamen factam à Papa ex plenitudine potestatis, Garcias de *benefic. part.* 12. *cap.* 2. num. 304. Azorius *Institut. moral.* *part.* 2. lib. 7. *cap.* 29. *quest.* 5. & 6. Barbosa lib. 3. *Jur. eccles. univers.* *cap.* 16. num. 68. Ventriglia *loc. cit.* §. 2. num. 23. & alii.

83 Pro dissolvenda tamen tali unione requiritur, quod cesset causa, propter quam facta fuit, vel aliis interveniat causa necessitatis, & utilitatis Ecclesiæ, utpote quia unio redundat in majus ejus damnum, & insuper requiritur causæ cognitio, consensus Capituli, & citatio eorum, quorum interest unionem non revocari. Rebuff. in *praxi* tit. de Unionis revocatione num. 6. Azorius *loc. cit.* *quest.* 6. Garcias *loc. cit.* num. 308. Barbosa *loc. cit.* num. 68. Ventriglia *loc. cit.* num. 24. & alii.

84 Alià ad rem. Vide *verb.* Dismembratio, *verb.* Seminarium.

85 Vulgo traditur, unionem inter odiosa collocandam esse, regulariter interdiciam, non promovendam, adeoque in dubio contra eam pronuntiandum: Confer *Tarriecio de union. benefic.* *part.* 3. q. 883.

86 Porro inficias haud imus, uniones regulariter, & sic non facile fieri debere, si fiant magis per modum exceptionis, quam Regulæ suscipiant. At non statim generatim unio inter odiosa referri debet. Necessitas, & utilitas præstant justum unioni causam; *cap.* 33. *de Præbend.* At vero quod ex hac causa fit odiosum, & probrosum, reparandum est. An non salus Ecclesiæ suprema lex esse debet? Unio sane temporalis, quæ fit ad vitam ad quæstum Beneficiorum cum Ecclesiæ detrimento: præter necessitatem, odiosa, eaque propter explodenda est.

87 Agendum hic esset de diversis effectibus, qui fiunt à diversis speciebus unionis, ab unione scilicet per subreptionem, ab unione per confusionem, seu suppressionem, & ab unione æque principalii. At latior est hæc

materia, quam ut in hisce additionibus concludi queat. Satis sit indicare eos, qui de his egregie præ ceteris tractarunt, nimirum Bohemer. in *Decretal. lib.* 3. *tit.* 5. d. §. 180. ad *plur. seq.* Slevogt. de *union. sect.* 3. c. 1. & (Vid. *Reg. Ord.* 12. *Jun. an.* 1769. *cap.* 9. 13. & *seq.* *quæ lit.* D, *pag.* 73. invenitur: Vid. etiam *Bull. quæ incipit.* Apostolici Ministerii: *verb.* Forum.

VOTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt Voti naturam, divisionem, & materiam, & interpretationem.

Voti nomen accipitur variis modis. Primo à Grammatico accipitur pro desiderio ut *Proverb.* 31. ibi: *Quid dilectæ vororum meorum?* id est, desideriorum, & in eadem nonne Missæ: Tibique reddunt vota sua, id est, pia desideria, preces. Secundo à Juristis accipitur votum pro suffragio vel calculo in electionibus, vel consiliis. Tertio accipitur à Theologis proprie, & strictè votum pro promissione Deo facta, ut *Ecclesiastic.* 5. ibi: *Si quid volueris Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis.* & *Stulta promissio.* & *Psal.* 26. *Redde Altissimo vota tua,* & de voto juxta hanc ultimam acceptionem erit sermo.

Votum igitur sic acceptum rectè definitur, quod sit promissio deliberata, & voluntaria Deo facta de meliori bono. Sic *Communis Doctores*, cum S. Bonaventura in 4. *distin.* 1. q. 1. S. Thoma 2. 2. *quest.* 88. *art.* 1. *Scoto* in 4. *dist.* 38.

Dicitur primo promissio, id est, non simplex propositum, sed voluntas firma, & constans sese obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum, ita ut ex tali promissione Promissario, videlicet Deo, Jus acquiratur ad exigendum sibi promissum. Promissio enim est deliberata & spontanea fidei obligatio facta alicui de re bona, & possibilibus. Et propositum est sola voluntas faciendæ, vel omittendæ aliquid. Unde hoc est discrimen inter propositum, & promissionem, quod propositum est simpliciter sola voluntas faciendæ, vel omittendæ in futurum aliquid; Promissio autem sit voluntas aliquid faciendæ, vel omittendæ in futurum aliquid tamquam debitum, seu ex obligatione: sicque Promissio addit propositum voluntatem se obligandi alteri, ut hic in nostro casu voti se obligandi Deo; utcumque enim propositum sit firmum, ac deliberatum, numquam evadit votum, quædam abest voluntas se obligandi, ut clare habetur ex *cap.* Literaturam tuam 3. *de voto.* & *voti redemptione*; ubi cuidam Magistro consulenti ita respondit Alexander III. Summus Pontifex: *Cum ex quadam minutione, seu missione sanguinis, nimia fuisset mortis pavore perterritus, hæc verba prolatus, non diu hic morabor, proponens in animo, quod Religionis habitum esses aliquando suscepurus. Tunc igitur respondens, quod si plus non in voto processeris, transgressor judicari non poteris, si non impleas quod dixisti.* Sic Pontifex manifestè significat solo propositum, quantumvis sancto non constituit votum, idque ob defectum intentionis, seu voluntatis se obligandi. Sic Doctores communiter.

Dicitur secundo deliberata, quia promissio subita, & inconsiderata non sufficit ad rationem voti. Vovens enim debet plene advertere, & cognoscere materiam, quam vover, cum deliberatio importet advertentiam, & cognitionem materiæ cum libero & expedito interiorum sensuum usu. *Omnes*, *hulli* in *cap.* Unde tanta deliberatio requiritur, & sufficit ad votum, quanta requiritur & sufficit ad peccatum mortale. Sic Doctores jam fere communiter post Glossam in *cap.* Mulier 14. *caus.* 32. q. 2. dicentem expresse, quod qui potest se obligare diabolo, peccat & Deo, cum non videatur plus, aut minus requiri & sufficere ad obligandum se Deo per votum, quam ad se obstringendum diabolo per peccatum mortale. *hulli* in *cap.*

Dicitur tertio voluntaria, id est, cum libero voluntatis

BIBLIOTECA CENTRAL



10 Dicitur quarto *Deo facta*, quia promissio essentialiter constituit votum proprie dictum debet esse facta ipsi Deo, cum votum proprie sit actus Religionis, seu Latræ soli Deo debitus; unde cum quis aliquid vovet B. Mariæ Virgini, aut Sanctis, intelligitur vovere Deo in honorem B. Mariæ Virgini, ac Sanctorum: Sicut enim cum templâ, seu altaria B. M. V. aut Sanctis dedicantur, dicuntur dedicati Deo in honorem, & memoriam B. Mariæ Virgini, aut Sanctorum, ut explicat S. Augustinus lib. 20. *contra Faustum cap. 21.* Ita etiam cum vota nuncupantur B. Mariæ Virgini, aut Sanctis, dicuntur nuncupari Deo in honorem B. Mariæ Virgini, aut Sanctorum, ut docet S. Thomas 2. 2. *quest. 88. art. 5. ad 3.* Ipsum enim Deum tolli, ac venerari in Sanctis fatentur omnes Catholicis. Vel ut alii explicant, votum in similibus casibus intelligitur fieri principaliter, ac primario ipsi Deo, B. autem Mariæ Virgini, aut Sanctis solum secundario, ut testibus, Advocatis, & intercessoribus apud Deum, sicut dicant solemnem vovendi formulam Religiosorum: voveo, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, B. N. & omnibus Sanctis &c. habere hunc sensum: Voveo Deo coram S. Mariâ Virgine, B. N. & omnibus Sanctis tamquam testibus, Advocatis, & intercessoribus. Ita Suarez lib. 1. *cap. 16. num. 17.* Layman lib. 4. *tract. 4. cap. 1. in fine.* Sporer tom. 1. *tractat. 3. in 2. præcepti. decalogi cap. 2. num. 31. & alii.*

11 Dicitur quinto *de meliori bono*, quia ad votum non solum requiritur, ut illud, quod vovetur, sit bonum, sed insuper ut bonum illud sit melius, quàm ejus oppositum: Hinc votum nubendi absolute loquendo non tenet, quia Matrimonium non est bonum melius virginitate sibi opposita. Dicitur autem notanter *absolute loquendo*, quia id quod absolute est minus bonum suo opposito, potest per accidens esse circumstantiis esse majus bonum, sicut cadere sub voto, ut patet de eo, qui se cognoscens primum ad lapsum carnis, ad evitanda peccata incontinentiæ vovet statum Matrimoniale assumere. In eo enim casu dicit Apostolus 1. *ad Corinth. cap. 7. n. 9. Melius est nubere, quàm uri.*

12 Votum varie dividitur. Primo dividitur in votum simplex, & solemne. Simplex est illud, quod emittitur sine alia solemnitate cum nuda, & simplici promissione Deo facta, sive privatim, sive ore, sive tantum corde. Solemne est illud, quod solemnizatur per professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ, aut per susceptionem Sacri Ordinis, ut habetur in *cap. Unic. de Voto in 6.* ubi dicitur, quod voti solemnitas sit à sola constitutione Ecclesiæ inventa, ibi: *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, quod etiam dicitur in Bulla Gregorii XIII. incip. Ascendente Domino num. 18. ibi: Nos considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ institutione inventam esse.*

13 Secundo dividitur votum in reale, personale, & mixtum. Reale est illud, quo vovens promittit aliquid de sua re, aut substantiâ, distinctum ab actione, aut omissione personæ, v. gr. elemosynam. Personale est illud, quo promittitur nuda actio, aut ommissio personæ, v. gr. jejunium, abstinentia à luxu. Mixtum est illud, quod participat de Reali, & Personali, v. gr. votum visitandi Sanctuarium, ibique offerendi lampadem.

14 Tertio dividitur votum in temporale, & perpetuum. Temporale est illud, quod ex intentione vovens solum ad certum tempus, vel pro certo tempore obligat, ut

votum jejunandi omnibus Sabbatis unius anni, non bibendi vinum hebdomada Sancta. Perpetuum est illud quod ex intentione vovens perpetuo, seu tota vita obligat, & servandum est ut votum jejunandi toto tempore vitæ suæ, nunquam bibendi vinum, nunquam manducandi carnes, nunquam ludendi.

Quarto dividitur Votum in *expressum, & tacitum*, Expressum, seu explicitum est illud, quo expressis verbis aliquid Deo promittitur. Tacitum, seu implicitum est illud, quod fit per liberam actionem habentem votum annexum. Sic qui Sacrum Ordinem suscipit, censetur castitatem perpetuo vovere, cum sciat susceptioni Ordinis Sacri annexam esse obligationem castitatis perpetuæ.

Quinto dividitur votum in *absolutum, conditionatum, & penale*. Absolutum est illud, quod simpliciter & absolute emittitur independentem ab omni conditione, ut cum quis simpliciter vovet jejunium, castitatem, peregrinationem. Conditionatum est illud, quod emittitur sub aliqua conditione, ut cum quis voveret dare calicem Ecclesiæ, si à tali morbo convalescat, si à tali moris periculo liberetur, si filius suus tale inierit Matrimonium. Penale est illud, quod fit in penam, seu quo vovetur aliqua pena subeunda, quoties commissâ fuerit aliqua culpa; ut si quis voveat se toties occultaturam terram, quoties mentitus fuerit; se toties jejunaturum, clicium gesturum, se disciplina afflicturnum, quoties in peccatum carnis lapsus fuerit.

Materia voti debet esse possibilis, & in potestate vovens, non solum physice, sed etiam moraliter, talis scilicet, quæ ab homine fieri possit communi concursu & ordinario auxilio divinæ gratiæ: Communis. Et ratio est evidens, quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi ad aliquid præstandum: nemo autem potest se obligare ad id, quod non est ei possibile, nec est in sua potestate, arg. 1. Impossibile 185. ff. de Reg. Juris, ibi: *Impossibile nulla est obligatio, & cap. Nemo potest 6. de Regul. Juris in 6. ibi: Nemo potest ad impossibilia obligari, adeoque &c. (Lit. D, pag. 54. num. 54. & pag. 60. num. 14.)*

Hinc invalidum est votum nunquam peccandi nec venialiter; Com. Tale enim votum est de re moraliter impossibili, cum nos attenta nostra fragilitate secundum legem ordinariam cum ordinario concursu, & auxilio Dei non possimus omnino omne peccatum etiam veniale evitare, ut quotidiana experientia demonstrat.

Validum tamen est votum vitandi omnia peccata mortalia, aut certa peccata venialia in specie determinata, v. g. ambiquam mentendi, nunquam vel minimum furandi &c. Com. Id enim est nobis possibile etiam cum solo communi ordinario concursu, & auxilio divinæ gratiæ.

Item validum est votum nullum omnino peccatum veniale cum plena deliberatione patrandi: Suarez lib. 2. *cap. 3. num. 4.* Layman lib. 4. *tract. 4. cap. 2. num. 2.* Sporer loc. cit. *num. 39.* & alii. Et ratio est, quia licet homini fragili sine speciali privilegio non sit possibile evitare omnia peccata venialia, quæ fiunt ex subreptione, sive cum deliberatione imperfecta; est tamen ei possibile sine speciali privilegio, & cum solo communi ordinario auxilio divinæ gratiæ, ut in nullum peccatum etiam veniale cum plena deliberatione, & mera libera sua malitia consentiat; tum quia simile votum emissum fuisse à pluribus viris Sanctis, Ecclesiastica Legenda testatur.

Si votum sit de re partim possibili, & partim impossibili, validum, & servandum est quoad partem possibilem, si partes dicti voti sint per se separabiles, nec alia fuerit intentio vovens: Com. arg. c. Utile 36. de Regul. Juris in 6. ibi: *Utile non debet per inutile vitari, præsertim si utile ab inutili separari possit. (Lit. C. p. 13. num. 45. & lit. D, pag. 108. num. 29.)* Sic qui vovet dare Ecclesiæ, vel pauperibus mille aureos, si factus impotens nequit dare omnes, tenetur dare partem possibilem. Item qui vovet jejunare totam hebdomadam, si factus impotens nequeat jejunare totam integram, tenetur ad partem, quam potest, & sic de similibus.

Res

Res enim de natura sua dividua censetur voveri divisim, nisi alia sit expressa intentio vovens.

22 Si autem partes voti promissæ sint copulatim per modum unius, ita ut obligatio unius dependeat ab obligatione alterius, ac totius promissæ, tunc, si una pars sit, vel fiat observari impossibilis, nec tenetur vovens ad observantiam alterius. Sic qui vovet Sacramentalem Confessionem causa Jubilæi lucrari, si factus impotens nequeat Jubilæum lucrari, non tenetur ad Confessionem. Item qui vovet peregrinationem nudis pedibus, ac in cilicio, si factus impotens nequeat peregrinari, non tenetur eo tempore nudis pedibus incedere, ac cilicium gestare, & sic de similibus; Layman loc. cit. *n. 3. vers. Exempla posterioris: Gobat tom. 3. casu 2. n. 77. Sporer loc. cit. n. 68.* cum Suarez, & Sanchez ibi citatis, & alii. Et ratio est, quia vovens, ut supponitur, vovit ipsas partes copulatim per modum unius totius, seu individui, adeoque non fuit ejus intentio observare unam partem sine altera: tum quia ipsam Confessionem vovit solum ob Jubilæum lucrandum, & dictam incessionem nudis pedibus, ac gestationem cilicii, solum tamquam Accessorium ad Peregrinationem, ut *Principale*; cessante autem fine cessat obligatio mediourum, arg. c. Cum cessante 60. de appellat. l. Adigere 6. §. 2. ff. de Jurepatronat. l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnator. (Lit. E, pag. 362. ante num. 39. & Lit. I, pag. 7. num. 34.) & ruente principali ruit & accessorium, arg. cap. Accessorium 42. de Regul. Juris in 6. ibi: *Accessorium naturam sequi congruit Principali, l. Nihil dolo §. Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent, & concordat 1. Cum principalis 178. ff. eod. (Lit. A pag. 38. ex n. 1. ad 13. & Lit. D pag. 104. ex num. 60.)*

23 Materia voti debet esse res moraliter bona. Unde opus lege naturali, divina, vel humana prohibitum non potest voveri, & si voveatur, votum nudum est illicitum, sed & invalidum, & nullum: Communissima.

24 Sic invalidum est omne votum emissum pro re illicita à Deo impetranda, ut si mereretur voveat partem quas-tus meretricii, aut usurarius partem suarum usurarum, vel latro partem suorum latrociniorum dare Ecclesiæ seu Pauperibus ex intentione movendi Deum ad sibi majorem horum iniquorum proventuum occasionem concedendam. Item invalidum est votum jejunandi, audiendi Sacrum &c. si emittatur ab impudico ad impetrandum à Deo illicitum complexum personæ concupitæ, à vindicativo ad sumendam injustam vindictam de suo inimico, ab ambitioso ad capessendam vacam gloriam, & laudem hominum, à rixoso, seu belligerante, aut litigantem, ad obtinendam injustam victoriam &c. Et ratio est, quia dare elemosynam, seu quodvis opus bonum facere ad impetrandum à Deo rem illicitam, vel iniquam, est actio mala, & blasphemâ, quia talis quantum est in se Deum auctorem peccati facit, adeoque nec licite, nec valide voveri potest: Sic Doctores Communiter.

25 Validum autem est votum factum ex effectu ad rem bonam, & bonâ est, quamvis conjuncta cum causâ malâ, & pessimâ, ut si quis voveat jejunium, elemosynam, peregrinationem, Religionem &c. si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si proles non nascatur ex suo adulterio, si infamiam evitaverit ex sua fornicatione &c. Et ratio est, quia licet duellum, furtum, adulterium, fornicationem velle, malum, & pessimum sit; tamen his positis in duello incolumen servari, in furto non capi, prolem ex adulterio non suscipere, infamiam ex fornicatione evitare, revera mala non sunt, sed bona, ac Dei specialia beneficia sunt, ad quæ proinde impetranda valida sunt dicta vota, cum non cadant super illa mala, sed super hæc bona considerata quatenus in se bona sunt: Sic Doctores passim.

26 Opus de se indifferens non potest esse materia voti, nisi in finem bonum ordinetur: Com. Et ratio est, quia res indifferens non est de se Deo grata, nisi in finem bonum ordinetur, adeoque non potest esse materia voti, nisi ex addito fine, aut circumstantiâ bonâ de indifferenti evadat bonâ, ac Deo grata. Sic nullum de se est

FRANCA, BIBLIOTHECA, TOM. IX.

Gg

le

votum nunquam spuendi in Ecclesia, si ipsi nullus finis bonus addatur: Validum autem est, si in finem bonum ordinetur, ut si fiat votum nunquam ibi spuendi, nisi suis spatis foederetur Ecclesia cum nausea aliorum. Item nullum est votum non vescendi capite animalis in honorem S. Joan. Baptistæ capite dimitti, non edendi carnem tostam in honorem S. Laurentii igne tosti, relicta interim sibi facultate vescendi aliis carnibus æque vel magis delicatis ad satietatem. Validum tamen est, si vovens nimis affectus sit ad tale ciborum genus, & mortificationis gratia voveat Deo se abstinere ad talis Sancti honorem. Item nullum est votum certarum muliercularum non nendi die Sabbati in honorem B. M. V. relicta interim sibi, & suis facultate aliis similibus operibus laborandi: Validum autem est; si mulier sic vovens sit nimis affecta ad nendum, sicutque voveat non nere ad talis prædominantis passionis mortificationem, & ut interim orationi ac aliis exercitiis vacare possit.

Item invalidum est votum etiam rei bonæ, & honestæ, si fiat ob finem omnino indifferentem, & temporalem, ut si quis voveat jejunium, abstinentiam à vino, aut certis lautioribus cibis ad solum finem parcendi sumpibus, vel sanitatem naturaliter conservandi, aut recuperandi. Et ratio est, quia in moralibus species rei sumitur à fine, adeoque si finis rei promissæ est indifferens, totus actus ex objecto erit indifferens, sicutque erit materia inepta Voti. Validum autem erit simile votum, si fiat ob finem impetrandi à Deo etiam bona temporalia, & indifferentia, honesta tamen, & rationabiliter petibilia à Deo, ut Sanitatem corporis, Officium honorificum, utile Matrimonium, congruas divitias &c. Et ratio est, quia hæc à Deo tamquam eorum auctore petere, vel pro impetratis gratias agere bonum, & honestum est, sicutque apta materia voti esse possunt: Sic Doctores communiter.

28 Materia voti debet esse de meliori bono, quàm ejus oppositum: Com. Et ratio est clara, quia Deo magis placet opus, quod majus, & melius est, quàm oppositum minus bonum; adeoque non erit Deo acceptum, si quis voveat minus bonum omisso ejus opposito bono majori, quia hoc ipso se obligaret ad omitendum oppositum, quod majus, & melius est, & Deo gratius, sicutque tale votum utpote Deo non acceptum, invalidum est.

29 Hinc invalidum est absolute loquendo votum nubendi, quia non est de meliori bono, cum status ei oppositus, nempe status Celibatus, sit longe melior, ut habetur expresse ex Apostolo 1. *ad Corinth. cap. 7. num. 38. ibi: Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Et definitum à Conc. Trid. *sess. 24. Canon. 10. ibi: Si quis dixerit, statum conjugalem anteponeendum esse statui virginitatis, vel celibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut celibatu, quàm jungi Matrimonio, anathema sit.* Secus autem esset, si quis non posset frænare concupiscentiam nisi per Matrimonium; tunc enim votum nubendi esset promissio Deo grata, adeoque valida, quia licet Matrimonium absolute loquendo sit minus bonum suo opposito, potest tamen per accidens ex circumstantiis hic, & nunc esse majus bonum, sicutque cadere sub voto, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. cap. 7. n. 9. Melius est nubere, quàm uri; Com.*

30 Sicutque invalidum est votum nunquam vovendi, quia impedit majus bonum, cum absolute sit melius vovere, quàm nunquam vovere. Ast tamen validum erit votum non vovendi indiscrete, temere, aut inconsulto Confessario, vel viro prudente, quia vovere cum tali cautela est quid honestum ad virtutem Prudentiæ spectans, & melius, quàm suum oppositum: *Udner.*

Item invalidum est votum luendi honeste, bibendi moderate, si fiat absolute, & importet obligationem absolutam ad Insum, vel ad potum, quia licet indere honeste, bibere temperate sint actus boni, & honesti, eorum tamen oppositum, nempe carentia, seu abstinentia, est melior, & Deo gratior: Est tamen validum, si fiat conditionate, dicendo, v. gr. Voveo, si Iusero, honeste, sine fraude, contentione, & scandalo me luserum, quoties bibero; temperate me bibiturum; quia ta-

BIBLIOTECA CENTRAL



le votum est de meliori bono, cum posita dicta conditione materia voti non sit ipsum ludere, vel bibere, sed ipsa honestas in ludendo, & temperantia in bibendo, quod sine dubio melius est suo opposito: *Communissima*.

32 Materia voti debet esse de opere, & facto proprio. Unde invalidum est votum directe emissum de facto alieno, ut alieno. Siquae invalida sunt vota parentum filios vel filias Religiosi voventium. Item patrumfamilias cum vovent, ut suae familiae jejunent certis vigiliis, confiteantur, & communicent certis festis &c. Tales enim filii & filiae, & familiae non obligantur dictis votis parentum, ut patrumfamilias, nisi voluntarie ea ratificent, sicutque vota aliena sua efficiant: quia in tali casu obligarentur dictis votis, utpote jam suis factis per propriam ratificationem, arg. cap. Ratificationem 10. de Regul. Juris in 6. ibi: Ratificationem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. (Vid. verb. Restitutio art. ult. n. 44. & leg. 10. tit. 31. p. 6.) Quae ratione Sacri Canonis, & Concilia antiqua, praesertim Toletanum IV. cap. 48. cum dicunt, filios paterno voto Religiosi devotos obligari Religioni, nec si jam ingressi fuerint, posse ad seculum reverti, intelligendas sunt cum hac conditione: modo filii consenserint, parentum votum ratificaverint, seu ratum haberint, ut expresse decernitur in cap. Cum simus 14. de Regularibus: Sic Doctores communiter.

33 Sic cum Communitas aliqua egerit aliquid, v. g. monasterium certa jejunia, civitas, vel pagus certas processiones, vel ferias, & hujusmodi, vi voti & Religionis obligantur solum primi personae voventes: Successores autem non obligantur vi voti, nisi ratificaverint, arg. citatis Juribus: Unde promissiones, & vota, quae frequentur fieri solent ab universitatibus servandi sub praecipio festum alicujus Sancti, ac jejunandi in vigilia, non obligant populum, qui tamen potest sponte promissa servare; & nullus est poena cogendus, ut illa die abstineat ab operibus servilibus; Barbosa in Collectan. decis. Apostolic. verb. Festum in Com. n. 8. Monacell. part. 2. tit. 13. formul. 1. n. 25. uti testatur se vidisse pluries supplices libellos hac in re Sacrae Cong. Rit. portectos pro confirmatione hujusmodi promissionum, & votorum fuisse rejectos, & praesertim in Urbevetana 6. Oct. 1696. in Messanen. loci Melazzi 25. Januarii, & in Alessanen. Terra Corsani 6. Septembris 1603.

34 Opera praecipua possunt esse materia voti, unde quamvis praecipuum sit de non fornicando, non furando, de audiendo Sacro diebus festis, de jejunando in Quadragesima, & hujusmodi, adhuc de similibus validum, & obligatorium votum emitti potest, & transgressio talis voti, v. gr. fornicatio, furtum, & hujusmodi, duplex erit peccatum, & contra praecipuum non fornicandi, non furandi, & hujusmodi, & contra Religionem proprii voti: Et ratio est, quia cum necessitas praecipui non sit simpliciter, sed solum ex suppositione finis, nempe si homo peccatum evitare, & salutem consequi velit, juxta illud Matth. cap. 12. n. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, ac proinde voluntas simpliciter libera maneat ad opus praecipuum, vel prohibitum faciendum, vel omittendum, aut e contra, ideo poterit ipsa magis determinari, & obligari per votum, cum nihil obsiet eandem rem ex diversis obligationum capitibus debitam esse, ac debitorem pluribus, ac diversis vinculis adstringi ad idem, uti notant DD. in l. Scire 29. §. Si a jure ff. de verb. obligatibus.

35 Magis meritoria sunt opera bona facta ex voto, quam si sine voto sponte fiant: Communis. Et ratio est, quia melius, & magis meritorium est opus habens duplicem honestatem, quam habens unicam: sed opus bonum factum ex Voto, ultra honestatem, quam habet sine illo, habet etiam honestatem Religionis, ergo &c. Tum quia plus dat, & consecrat, qui ex voto bonum operatur, quam qui sine voto; quia ultra actum, quem dat alter, etiam dat voluntatem, quam Deo adstringit, sicuti plus dat qui non tantum fructum, sed etiam arborem donat, ut recte notat S. Anselmus lib. de Similitudinibus c. 48. adeoque melius, & magis meritorium est opus bonum ex voto, quam si sine voto sponte fiat.

36 Nec valet obijcere, quod qui operatur ex voti obli-

gatione, magis ex necessitate, quam ex libera voluntate operatur, adeoque minus meritorium est ejus opus, cum Apostolus 2. ad Corinth. 9. dicat: Non ex necessitate, hilarem enim Datorem diligit Deus. Non valet, inquam, quia necessitas obligationis oritur ex voto minime tollit libertatem voluntatis, nec minuit, quia homo minime sponte, ac libere operatur, quod sponte, ac libere vovit, etsi forte non operatur, nisi vovisset: Et Apostolus loquitur de necessitate contra voluntatem imposita, non de illa, quam quis sponte assumit in voto: Unde S. Augustinus Epist. 43. ad Armentarium. Raiparium expresse dicit: *Felix est necessitas, quae in meliora compellit.*

Vovere, & voto se Deo obligare possunt omnes sufficientem usum rationis habentes, praesertim post septennium, quamvis ante septennium id possit fieri ab aliquo, cujus cognitio, seu malitia praevenerit, ut suppleverit aetas: Sic Doctores jam fere communiter post Glossam in cap. Molier 14. caus. 32. q. 2. dicentem expresse, quod qui potest se obligare diabolo, potest & Deo, cum non videatur plus, aut minus requiri, & sufficere ad obligandum se Deo per votum, quam ad se obstringendum diabolo per peccatum mortale.

Votum inducit obligationem in conscientia exequendi promissum; Com. & certa, & habetur expresse ex pluribus Sacrae Scripturae locis; Deuter. 23. ibi: Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quando autem semel egressum est de labiis tuis, observabis. Rursus ibidem: Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabit tibi in peccatum; Ecclesiastes 5. ibi: Si quid voveris Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio; Psalm. 49. ibi: Redde Altissimo vota tua; Psalm. 69. ibi: Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea, cum similibus, & est expresse definitum in cap. Licet 6. de Voto.

Votum per se loquendo obligat graviter, ubi materia gravis est; & leviter, ubi materia est levis: Com. Et ratio est clara, quia votum est quadam particularis lex, quam Vovens sibi imponit; lex autem graviter, aut leviter obligat juxta gravitatem & levitatem materiae, adeoque sic etiam votum.

Dicitur etiam notanter per se loquendo, quia potest Vovens obligare se ad rem gravem solum sub culpa levi, si id vovendo expresse intendat: Com. Et ratio est, quia sicut in libertate Vovens est obligatio quoad substantiam, ita etiam quoad modum: Unde sicuti, ut dicit Glossa communiter recepta in cap. Literaturam 3. verb. Proponens, de voto: nemo se obligat, nisi qui habet animam se obligandi, per text. in l. Obligationum 44. ff. de obligationibus, & adiunctis: Ita nemo se obligat graviter, si vovendo expresse intendat se obligare tantum leviter, tum quia sicuti lex de materia gravi obligat leviter, ubi sic statuit Legislator; ita etiam votum (quod est lex quadam particularis) ubi sic intendit Vovens.

Nec valet dicere, quod sicuti non potest quis profiteri in aliqua Religione, aut promittere, vel inire Matrimonium sub obligatione levi, ita neque potest Vovens se obligare ad rem gravem solum sub culpa levi. Non valet, inquam, ratione disparitatis: & disparitas est, quia illi actus sunt utrinque onerosi, & ideo cum Religio Profitenti, & Sponsa Sponso se obligent graviter, debent & illi graviter se obligare, aliis non servareur aequalitas, quod non currit in emittente solum votum simplex, de quo solo simpliciter voto est intelligenda conclusio, & non de voto solemnium, quod, cum involvat mutationem status, non acceptatur, & consequenter irritum est, si tantum intendatur obligatio levis.

Non potest tamen Vovens obligare se ad rem levem sub culpa gravi, quia materia levis est incapax obligationis gravis, & sicuti non potest Legislator materiae capacitatem excedere, ita nec vovens: Sic Doctores communiter. Qui tamen recte advertunt, quod qui vovet rem levem sub culpa gravi, format sibi conscientiam erroneam credens se ad id obligari sub mortali; quare si cum tali conscientia erronea postea transgrediatur votum, peccabit utique moraliter, at non vi voti, quod fuit incapax tantae obligationis, sed vi conscientiae erroneae.

tantis se ad id obligari sub mortali; ut patet ex dictis sub verb. Conscientia de Conscientia erronea.

43 Nec valet instare, quod sicut Vovens potest se obligare ad rem gravem solum sub culpa levi, ita potest etiam se obligare ad rem levem sub culpa gravi. Non valet, inquam, ratione disparitatis: & disparitas est, quia materia levis non est capax obligationis gravis, materia autem gravis, cum sit capax obligationis gravis, à fortiori erit capax obligationis levis; tum quia Deus non acceptat materiam levem ad obligationem gravem, quia non conducere ad salutem, sed ad periculum animae. Acceptat autem materiam gravem ad obligationem levem, cum id nullum involvat periculum animae, seu salutis.

Votum personale obligat praecise personam voventem, adeo ut persona vovens nequeat ipsum votum ex ea parte, qua est Personale per alium adimplere: Unde qui vovit jejunium, disciplinam, peregrinationem, & hujusmodi, tenetur per se ipsum illa exequi: Com. Et ratio est clara, quia votum personale requirit actionem propriam personae voventis; quia sicuti factum proprium promissum, ita factum proprio, & non alieno exequi debet.

Qui votum suum personale non potest per se ipsum adimplere, sive culpabiliter sive inculpabiliter in eam impotentiam incidit, non tenetur illud per alium exequi: Sic cum Silvestro, Navarro, Sanchez, & Sanchez, Layman loc. cit. cap. 3. n. 9. testans de communi Doctorem, Sporer loc. cit. num. 126. testans de communi cum supradictis contra S. Antonium, & aliquos alios. Et ratio est, quia actus non se extendit contra intentionem agentis: Intentio autem, seu promissio Vovens fuit se facturum aliquod solum per se ipsum v. gr. per se ipsum jejunaturum, oraturum, peregrinaturum &c. adeoque si id non possit per se ipsum, non tenetur adimplere per alium. Si autem etiam ad hoc ipsum se obligare intendere Vovens sive expresse, sive implicite, ut si diu voverat, cognovit suam personalem impotentiam, tunc ne votum irritum, & illusorium reddatur, interpretari debet, quod intendit per alium exequi: Sic ex Hostiensis tradit Abbas in cap. Licet 6. n. 13. de Vot. Layman loc. cit. n. 9. Sporer loc. cit. n. 126.

46 Obligatio voti personalis, vovente mortuo, non transit ad haeredes: Communis. Et ratio est, quia cum votum personale respiciat tantum personam Vovens, aut ejus actionem, extinguitur extincto Vovente.

47 Transit tamen ad haeredes obligatio voti realis, vovente mortuo, & sufficiente substantia relicta, sive sit culpabiliter, sive inculpabiliter in vivis solvere omiserit: Com. textu expresse in l. Si quis 2. §. 2. de Pollicitationibus, ibi: Si forte, qui decimum honorum voverit, deceaserit ante seipsum, haeres ipsius hereditario nomine decima obstringitur: haeres enim obligationem ad haereditatem transire constat, & concordat c. Licet 6. de Voto, cap. Ex parte 1. & de censibus. Et ratio est, quia haeres voluntarie adeundo, & acceptando hereditatem defuncti sicuti omnia ejus commoda, & Jura acquirit, ita etiam omnia ejus onera, debita, & obligationes reales in se suscipit, adeoque etiam obligationem voti realis, seu promissionis factae Deo de aliqua re in ejus honorem praestanda, arg. cap. Licet 6. de Voto.

48 Item ad haeredes transit obligatio voti mixti ex ea parte, qua est realis: Communis. Licet enim votum mixtum ex ea parte, qua est personale, debeat necessario adimpleri per personam voventem, & non possit exequi per alium ex dictis supra n. 44. adeoque nec transeat ad haeredes, ex dictis supra n. 46. Potest tamen per alium adimpleri ex ea parte, qua est reale, ut fatentur omnes Doctores, adeoque si quoad dictam partem non fuit adimplendum à vovente, ipso defuncto, debet adimpleri ab ejus haereditibus per eandem rationem adductam n. antecess. de obligatione Voti realis. Unde mortua persona, quae vovit v. gr. peregrinari Laurentum, & ibi lampadem argenteam offerre, licet non transeat ad haeredes obligatio talis peregrinationis, utpote solius voti personalis; transit tamen ad ipsos obligatio obligationis dictae Lampadis argenteae, utpote voti realis.

49 Haeres non tenetur solvere vota defuncti ultra vires

hereditatis, sed cum proportione ad illam: Com. Hinc prius solvendi sunt sumptus funeris: Com. per text. in l. Scimus 22. §. 9. Cod. de Jure deliberandi. l. Et si quis 24. l. Impensa funeris 45. ff. de religiosis, & similibus funerum: deinde solvendum est omne quod alienum juxta ordinem traditum sub verb. Restitutio art. 4. num. 29. argue in finem: Exposit ante vota solvenda est legitima Descendentibus, aut Ascendentibus debita: Descendentes enim, & Ascendentes defuncti non tenentur ad solvenda vota per illius testamentum emissa, si inde gravetur eorum legitima, quia Jura declarant omnia gravamina bonis à testatore appositam in praedictum legitima, sive interim fiant per vota, sive per legata pia, nullius esse roboris; l. Quoniam 32. Cod. de inofficiosa testamentaria, cum similibus: Et solum post solutionem totius aëris alieni, & legitime, solvenda sunt vota: Et ratio est quia vota non debent solvi ex aëre alieno, sed ex aëre, & bonis ipsius Vovens: Es autem, & bona cujuscumque censentur solum, quae supersunt deducto aëre alieno; l. Mulier 72. junctis Glossa verb. Alieno ff. De Jure Dotium: Debent tamen praesertim vota legata, cum haec sint libera, & gratuita, & illa sunt obligatoria, ut tradunt communiter Doctores. Si autem soluto aëre alieno, hereditas non sit solvendo omnia defuncti vota, non est solvendum unum, aut alterum, & alia omittenda, sed singula pro rata: Cum enim omnia aequaliter ex virtute Religionis debeantur, non est ratio, cur unum alteri preferatur, idemque est in legatis, arg. l. Privilegia 34. ff. de rebus auctoritate judicis possidendis. l. Si hominem 7. §. 3. Depositi, l. Pro debitoribus 6. Cod. de bonis auctoritate judicis possidendis, cum similibus.

Votum conditionale non obligat, nisi impleta conditione: Communis. Ad quod sub conditione celebratus conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. §. Sub conditione 4. Instit. de verb. obligat. & L. unicus §. Si autem Cod. de caducis tollend. Suspensum enim ejus valor usque ad eventum conditionis; l. Si est ff. de conditionibus, & obligat. l. Legata sub conditione ff. de condit. & demonstrat. (Vid. lit. C. pag. 177. n. 451.)

Peccat autem graviter Vovens, si malitiose per fraudem, vim, aut dolum impedit positionem, seu adimplitionem conditionis, ne voto obligetur: Communis, per Jura num. sequens adducenda: Vovens enim vovendo obligavit se virtualiter ad non impediendum conditionis eventum, ne frustrancum esset votum: Insuper tenetur probabilius votum exequi non minus, quam si conditio impleta fuisset; Richard. in 4. dist. 38. art. 9. q. 3. Angelus verb. Votum 1. §. 10. Navarrus cap. 12. num. 42. Azorius lib. 11. c. 20. q. ult. Sanchez l. 4. c. 63. Henno tom. 1. tract. in decalog. disp. 2. q. 23. art. 7. c. 1. & tredecim citans probabilius snadet, Diana p. 4. tract. 4. resolut. 101. Sporer loc. cit. num. 147. ubi dicit communiter, & sine dubio tutiorem esse hanc sententiam, & sic alii plures; per text. in l. In executione 84. §. 7. ff. de verb. obligationibus, ibi: Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio existeret, nihil minus obligatur, & cap. Cum non stat 66. de Regul. Juris in 6. ibi: Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet, sperando, ac si impleta fuisset: (Lit. C. pag. 31. num. 100. & leg. 22. tit. 9. p. 6.) Et ratio est, quia fraudus, & dolum nemini patrocinari debent; hinc literis de dolo, & contumacia, ibi: Nos attendentes, malitiam & dolum nulli patrocinari debere, cap. Sedes 15. de Rescriptis, ibi: Quia fraudus, & dolum ei patrocinari non debent, cap. Ex tenore 16. eod. ibi: Quia fraudus, & dolum alicui non patrocinari debent, cap. Taxa 12. de Clericis non residentibus, ibi: Cum fraudus, & dolum nemini debeat patrocinium impartiri, l. In fundo ff. de rei vindicatio, ibi: Neque malitiam indulgendum est, l. Quam si ff. de transactionibus, ibi: Non debet via operari malitiam, l. Si Legatarius Cod. de Legatis, ibi: Ut non accipiat fructus sua calliditate, cum similibus. (Lit. E. pag. 230. num. 23.) Tum quia, ut fatentur ipsmet adversarii, quando homo malitiam promittit sub conditione, tenetur promissionem implere, si malitiose conditionis eventum impedivit, ergo etiam si quando promittit Deo. Hinc qui vovit Religionem, si pater consenserit, si Deus



integram sanitatem restituerit, & hujusmodi, sed postea penitens voti, dolose falsis allegationibus Patrem circumvenit, ut contradicat, qui alioquin non contradiceret, studiosae, & malitiose intemperanter vivit, & refugit medicamenta, ne recuperet integram sanitatem, quam alioquin facilliter recuperaret, & alia hujusmodi malitiose, & dolose peragit ad impediendam voti conditionem, ne ipsa adimpleta, Religionem ingredi teneatur, is adhuc tenetur votum exequi, & Religionem ingredi, non minus quam si conditio impleta esset: Sicuti cum quis promisit alicui centum scuta, si ad domum suam perrexerit, si is ingredi volens, ab illa per vim, vel fraudem repellatur, perinde ei obligatus est, ac si ingressus fuisset.

54 Votum conditionale, adimpleta conditione, evadit absolutum, adeoque posita conditione stricte obligat, ac si fuisset absolute emissum: *Communis, arg. citatis Juribus supra n. 51.* & ratio est, quia votum illud precise pendet a conditione, ut fiat absolutum, ergo cum ponitur, seu adimpletur conditio, obligat eodem modo, ac si fuisset absolute emissum, & ideo non requiritur novus consensus, seu nova intentio ad inducendam obligationem: hinc vovens Religionem, susceptionem Sacrorum Ordinum, peregrinationem, donationem calicis, vel lampadis &c. alicui Ecclesiae, si naufragium, vel incendium evaserit, si sanitatem recuperaverit &c. tenetur vitato naufragio, vel incendio, sanitate recuperata &c. ad illorum executionem.

55 Votum penale obligat posita culpa, aliis non *Communis.* Et ratio est, quia voti obligatio sequitur intentionem vovens, qui voluit sibi imponere poenam propter solam culpam, & non aliis, adeoque &c. Hinc qui vovit jejunium, si se inebriaverit, posita ebrietate tenetur jejunare, secus autem, si se non inebriaverit. Sic qui vovit dare elemosynam, si luserit, posito lusu, tenetur elemosynam dare, secus autem, si non luserit, & sic de similibus.

56 Votum penale emissum sine determinatione quoad numerum poenae solvenda, si poena solvenda sit ex ordinariis, quoties iterari solent, intelligitur solvenda toties quoties fiat transgressio. Unde qui, v. gr. vovit jejunare, si se polluerit, moderatam elemosynam dare, si luserit, & hujusmodi, obligandus est toties se polluerit, vel luserit. Si autem poena solvenda sit ex privilegiis extraordinariis, quoties ordinariis iterari non ita solent, intelligitur solvenda solum in prima transgressione, & non in sequentibus: unde qui, v. gr. vovit peregrinari Compostellam, si fornicatus fuerit, & hujusmodi, obligandus est tantum prima vice: Sic Tambur. lib. 3. c. 12. §. 9. num. 2. Sanchez lib. 4. cap. 22. n. 21. Diana part. 7. tract. 9. resol. 60. Sporer loc. cit. n. 155. Henno loc. cit. concl. 2. resol. 5. Castropal. tract. 45. d. v. p. 18. num. 6. Layman loc. cit. c. 2. §. 4. & alii phores. Et ratio est, quia praesumitur rationabiliter, talem fuisse mentem vovens, Non est enim verisimile vovens intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties poenas graviores, atque insolitas, ut est tam longa, & laboriosa Compostellana peregrinatio, uti e contra verisimile est ejus intentionem fuisse sibi imponere toties, quoties poenas leviores, & solitas, uti est jejunium, moderata elemosyna, & hujusmodi.

57 Votum emissum cum intuitu ad certum tempus, seu ad specialem devotionem talis temporis debet omnino adimpleri tali tempore, & si eo tempore non adimpleatur, quamvis peccetur graviter, vel leviter, pro ratione materiae, obligatio tamen voti prorsus extinguitur, ita ut Vovens non teneatur amplius illud adimplere: *Communis.* Et ratio est, quia tale tempus censetur praefixum, & determinatum ad finiendam obligationem dicti voti. Cum enim dictum votum per modum votus copulatum comprehendat et rem promissam, & hanc circumstantiam temporis velut intrinsecam voto, transacto illo tempore, tota obligatio cessat, ex quo non sit amplius possibile votum adimpleri cum illa circumstantia dicti temporis iam transacti, quia impossibile nulla est obligatio, l. Impossibilem 185. ff. de Regul. Juris, & c. Nemo potest 6. de Regul. Juris in 6. ibi: Nemo potest

ad impossibile obligari. (Lit. B. pag. 176. num. 61.) Hinc qui vovit jejunare pro die veneris ob specialem devotionem Passionis Christi, audire Sacramentum die Sabbati ob devotionem B. M. V. jejunare Vigilam, & festare diem S. Rochi, seu S. Sebastiani ob patrocinium contra pestem &c. transacto tali tempore, cum, aut sine culpa, cessat omnino obligatio, cum in supra dictis temporibus dies censetur determinari ad finiendam obligationem, ita ut si eo die negligatur, altero die suppleri nec debeat, nec possit.

58 Si tempus votum adimplendi determinatum sit non intuitu ad ipsum tempus, nec ob specialem devotionem talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi, tunc censetur praefixum solum ad non differendam obligationem, at non ad ipsam finiendam, sicut eo tempore cum, vel sine culpa elapso absque impletione voti, adhuc manet obligatio illud adimplendi: *Communis.* Et ratio est, quia in tali casu res voto promissa, & circumstantia temporis non vovetur per modum unius, & copulatum, ut in antecedenti numero, sed per modum duorum, & sunt virtualiter quasi duo vota, nempe de tali re facienda, & de tali tempore facienda, adeoque quamvis transacto tempore impossibile sit servare eam circumstantiam temporis, adhuc tamen remanet obligatio rei promissae principalis, cum possibile adhuc sit juxta naturam dicti voti illam adimplere: Et colligitur clare ex l. Celsus 23. ff. de rebus Arbitris, ubi habetur: Jussum dare pecuniam certo tempore duo praecipia habere, unum dandi, & alterum eo certo tempore, ac proinde transgressorem posteriori adhuc teneri ad prius: Hinc qui vovit ingredi Religionem intra annum, visitare proximum Sanctuarium intra mensem, confiteri intra hebdomadam &c. elapso cum, vel sine culpa illo termino, adhuc remanet obligatus ad votum adimplendum, cum non fuerit determinatum dictum tempus ad finiendam obligationem, sed solum ad praescribendam terminum, ultra quem non differatur talis obligatio.

59 Qui vovit aliquid facturum certo tempore, v. g. jejunare bis in hebdomada, sequenti, licet postea praevideat dictum votum non posse ob aliquid impedimentum impleri tali determinata hebdomada, non tenetur praevinire, quia obligatio est affixa tempori, quod necdum est incertum. Si autem jam incertum sit tempus obligationis, nempe dicta hebdomada, & praevideat in fine fore impedimentum ad jejunandum, tenetur praevinire, quia jam est in tempore obligationis, sicut qui die festo praevideat circa meridiem fore impedimentum ad audiendum Sacramentum, tenetur manere praevinire: Ita Suarez lib. 4. c. 10. n. 7. Layman loc. cit. c. 3. n. 5. Tambur. loc. cit. c. 12. §. 3. n. 1. & Felix Potest. tom. 1. part. 2. n. 1847. La Croix lib. 3. part. 2. n. 444. cum Sanchez, Bonac. & aliis ibi citatis, & alii.

60 Votum sine temporis determinatione, aut praefixione emissum adimpleri debet cum primum commode potest: *Communis,* cum S. Thoma 2. 2. q. 88. art. 3. ad 3. Sig. ult. art. 3. & desumitur clare ex cap. 23. Deuteronom. ibi: Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, & ex l. Promissor §. 1. ff. de contrahata pecunia, ibi: Si sine die constitutus, confestim agere poterit, si statim ut constitutus, non solvas. Ly autem: Cum primum, seu statim non intelligendum physice, sed moraliter, nempe data temporis opportunitate, & occasione juxta prudentis arbitrium, arg. cit. l. Promissor §. 1. juncta Glossa ibidem ff. de constituta pecunia, l. Reatum ff. de solutione l. Continuus §. Cum ita ff. de verb. Obligatione. (Vid. tit. 11. part. 3.)

61 Causa sufficiens differendi adimplentionem voti sine certo praefixo tempore facti, si adis spes ut votum postea commodius, utilius, & maxime devotius impleatur, sed ad id concurrat publica necessitas, aut utilitas: *Communis.* Hinc qui vovit ingredi Religionem, licite expectare potest, donec erate, & viribus corporis provecior ad Ordinis asperitates, & labores: preferendos sit aptior, aut donec necessarius scientiis imbuatur. Qui vo-

vit elemosynam notabilem dare pauperibus, expectare potest tempus majoris necessitatis. Qui vovit peregrinationem ad aliquod Sanctuarium, expectare potest usque dum festum aliquod incidat, aut opportuna occasio se offerat, & sic de similibus, in quibus omnibus concurrente publica necessitate, aut utilitate, licite ipsa durante differitur voti adimpletio, arg. cap. Non est 5. de voto, & voti redemptione, ibi: Non est voti dicendum transgressor, qui quod votum Auctoritate Sedis Apostolica (legitima ex causa) distulit adimplere. (Leg. 5. tit. 5. p. 1.)

62 Habita opportunitate omnimoda adimplendi talia vota sine certo praefixo tempore facta, ulterius absque rationabili causa scienter differre semper est peccatum: *Communis,* per cit. text. Deuteronom. 23. ibi: Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quandonam autem sit peccatum mortale, vel veniale? incertum est apud Doctores, qui tamen satis communiter concludunt, culpabilem irrationabilem dilationem adimpletionis votorum perpetuorum, ut ingrediendi Religionem, Sacros Ordines suscipiendi, perpetuo jejunandi &c. citius ad peccatum mortale pertinere, quam dilationem votorum solummodo temporalium, ut dandi certam elemosynam, peragendi aliquod jejunium, assumendi aliquam peregrinationem &c. Et ratio est, quia vota temporalia dilatione non minuantur, sed quocumque tempore praestentur, semper integre praestantur, semper enim integre praestatur promissa elemosyna, promissum jejunium, promissa peregrinatio. E contra vero vota perpetua dilatione minuantur, quia cum Vovens vi voti Religionis, Sacrorum Ordinum, & jejunii perpetui obligetur Deo servare rem promissam usque ad mortem in Religione, Sacris Ordinibus, & jejunio, quantum differt votum, tantum detrahitur de tempore serviendi, & jejunandi, & consequenter de voto.

63 Unde in votis perpetuis attendenda est aetas vovens: Si enim Vovens, v. g. Religionem, sit aetatis 15. vel 16. annorum, dilatio ingressus sine rationabili causa ad tres, vel quatuor annos, non erit culpa mortalis, si absit periculum deficiendi ad tres. Si autem sit aetatis 25. vel 30. annorum, talis dilatio ad tres, vel quatuor annos erit culpa mortalis: Immo si excederet annum 40. erit mortalis dilatio ingressus sine rationabili causa, & habita omnimoda opportunitate, etiamsi fiat solum ultra sex menses; Tamburin. lib. 3. decalog. cap. 12. §. 3. n. 10. Sporer loc. cit. num. 116. & 117. cum aliis ibi citatis, La Croix lib. 3. part. 1. num. 446. ubi cum Castropal. insuper dicit probabilius universaliter fore mortale, si sine causa differatur votum Religionis ad sex menses. Et ratio nostrae conclusionis est, quia tres, vel quatuor anni, si demantur a servitio totius vitae ab adolescentia usque ad senectutem, sunt parva materia, non sic autem si demantur ab aetate perfecta, & virili, v. g. triginta circiter annorum: tunc enim tres, vel quatuor anni sunt materia notabilis, & sufficiens ad mortale peccatum, uti etiam sunt sex menses in excedente annum quadragesimum.

64 In votis autem temporalibus, quae dilatione non minuantur, dilatio etiam per longa tempora non erit mortalis, nisi eoque scienter, & sponte eorum adimpletio differatur, ut praevideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi, v. g. senectus, periculum obliuionis, vel omissionis omnimoda; Tamburin. loc. cit. n. 10. cum S. Antonino apud Sanchez lib. 4. in Decalog. c. 14. n. 21. Sporer loc. cit. n. 116. cum aliis ibi citatis, & alii plures. Et ratio est, quia nemo, cum dat totum, quod promisit, & nullum damnus ex mora Creditori, vel promissario facti, condemnandus est de gravi culpa, sed solum de levi negligentia. In praedictis autem votis ut supra expressis post quancumque dilationem, secluso periculo obliuionis, aut omissionis, adhuc Vovens dat totum, quod promisit, neque ex illa dilatione, seu mora ullum damnus facit Deo, cum sit dispartitum de Creditorum humano, cui semper fere officit dilatio longa debiti, adeoque dicta dilatio adimpletionis votorum temporalium in sensu conclusionis non erit culpa gravis, sed levis. Immo neque esset culpa levis, si adesset rationabilis causa sic differendi.

Qui generatim, & interminate Religionem vult, potest quamlibet minus strictam eligere, & si in nulla moderata Religione recipiatur, non tenetur ingredi strictissimam, v. gr. Carthusianorum, quamvis facile esset recipiendus, si talis non fuit sua intentio, seu ex circumstantiis, & qualitate vovens, utpote quia delicatus, & ab asperitatibus abhorrens, & hujusmodi colligi possit non fuisse ejus mentem etiam ad similes strictissimas Religiones se obligare, arg. cap. In generali concessione 81. de Regul. Juris in 6. & l. Obligatione generali 6. de pignoribus. (Lit. B. pag. 390. n. 27. & lit. I. pag. 35. num. 19. & 20.) In generali enim concessione, promissione, & obligatione non veniunt ea, quae quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, aut promissurus, vel se ad illa obligaturus; Sanchez lib. 4. Moral. cap. 16. num. 49. Silvester verb. Religio 2. q. 16. Angelus verb. Votum 3. §. 10. Richardus in 4. dist. 38. art. 3. q. 1. ad 2. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 6. n. 1. vers. Resolves secundas: Sporer loc. cit. num. 157. & alii passim.

65 Deuter. 23. haec habetur: Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Vide, atque attende considera verba ista: Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Dices ne, moram in solvendis votis culpabilem non esse? Si culpabilis mora est, ut Scriptura testatur, ergo arbitraria dilatio culpa non erit expressa, ergo notabilis mora seu dilatio, ut notabilem negligentiam, ita notabilem culpam praesertit; ergo dilatio per longa tempora, sine causa ulla, mortalis erit. Nec levis dici negligentia potest, dum homo per longa tempora differat ea Deo dare, quae liberissime eidem voverat.

66 Etiam ego ultro admitto dilationem per longa tempora, sine causa, mortalem esse, si tempus certum determinatum fuit, vel si ex notabilis negligentia mora periculum subsistit nunquam illud adimplendi, aut sit votum perpetuum Dei obsequium continens, ut Religionis ingrediendi, suscipiendi sacros Ordines, quotidie Missam audiendi, perpetuo servandi xenodochio, & hujusmodi; quia in his notabilis & longa dilatio tandem mortalis est. Quo enim diutius quis differt, eo plus aufert de obsequio Deo devoto. Non sic autem de votis temporalibus, quae dilatione non minuantur, nisi eo usque scienter & sponte eorum adimpletio differatur; ut praevideatur impedimentum perpetuum illa adimplendi v. gr. Senectus, periculum obliuionis, vel omissionis omnimoda, ut loquitur mea conclusio. Et convenire videtur etiam Castropal. in decalog. dissertat. 2. de voti obligatione cap. 3. num. 3. in fine, sic expresse dicens: Ea vero, quorum observatio non decrescit ob temporis dilationem, majus temporis spatium, quoad executionem admittunt, ut sunt vota peregrinandi ad domum Lauretanam, erogandi in elemosynam centum aureos, & id genus alia, quae sive hoc, sive futuro anno ea exequaris, tantumdem cultus Deo semper reddis illorum executione. Hinc non tam facile dicenda est mortalis illa dilatio, nisi ut trado ego, eoque scienter, & sponte eorum adimpletio differatur, ut praevideatur impedimentum illa adimplendi. Sanctus enim Thomas Quodlibet. q. 7. art. 15. in corpore sic expresse advertit: Respondeo dicendum, quod omnis questio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.

67 Item si talis Vovens non recipiatur ad Religionem, nisi ut maneat Laicus, seu Oblatus, aut Conversus, non tenetur ingredi, si id ipse non intenderit, aut ex qualitate personae colligi possit, utpote quia nobilis, delicatus, ingenio pollens, scientia imbutus, & hujusmodi; Sanchez loc. cit. num. 55. §. 1. q. Layman loc. cit. num. 1. vers. Resolves tertio: Sporer loc. cit. num. 159. & alii.

68 Item si talis Vovens in sua civitate, vel provincia non recipiatur, non tenetur adire provincias extraneas cum gravi suo incommodo, si talis non fuit sua intentio, aut ex qualitate personae colligi possit, suam intentionem eoque se non extendisse, utpote, quia inops, de-

BIBLIOTECA CENTRAL



bilis, extraneæ lingue imperitus &c. & præsertim si persona Vovens sit femina, cui peregrinari incommo- dum, & indecorum sit: In foeminis enim Religionem voventibus regulariter est intentio disciplinam se obligandi ad monasteria vicina, ubi cognatorum, & amicorum facultas aut aliæ commoditates suppetunt; Sporer loc. cit. n. 158. Layman loc. cit. n. 1. vers. Ex hoc fundamentor: cum Cajetano, Soto, Aragonio, Navarro, & Sanchez ibi citatis, Felix Potest. tom. 1. part. 2. n. 1838. nimis laxè dicens, quod qui vovit Religionem, non tenetur omnes adire, si ab una, aut altera respuatur, sed aliquot puta tres, aut quatuor, & tunc si respuatur, est liber à voto, sicuti etiam si unam ingressus, ejiciatur; Tancredi & Busemb. apud ipsam.

70 Item si talis Vovens non recipiatur in Religione ubi vigeat observantia, non tenetur, immo nec licite potest ingredi Ordinem, seu monasterium, cujus Regularis disciplina ita collapsa sit, ut nec substantialia quidem vota inibi observentur: Imminet enim ipsi potius, quam commoditas conversionis, periculum perversionis; Cajetanus in 2. 2. q. 88. art. 3. §. Sed quid talis; Sporer loc. cit. n. 160. Layman loc. cit. n. 5. cum Navarro, Sanchez, Rodriguez, Valentia, Lessio ibi citatis, & alii.

71 Item si talis Vovens non recipiatur in Religione claustrali, non tenetur ingredi Religionem Equitum Militarium: Intentio enim Religionem voventis solet referri solum ad claustralem, in qua regularis in communi Fratrum conventu viget Observantia, quales non sunt Militarium Equitum Ordines, qui quamvis Regulares sint, eorum tamen Alumni potius more secularium vivunt, nec Claustralem vitam servant; Layman loc. cit. n. 2. Sanchez loc. cit. n. 71. & alii. Immo talis vovens neque satisfaceret voto suo, Ordinem Equitum Militarium ingrediendo, si possit ingredi Ordinem Regularem, claustralem, ut docet Layman loc. cit. n. 2. vers. Ex quo, Sanchez cit. cap. 16. n. 12. & alii, & clare deducitur ex declarationibus Sacrarum Congr. volentium, quod Regulares habentes Indultum Apostolicum trans-eundi ad quamcumque Religionem etiam laxiorem nequeant transire ad Ordinem Militarem, nisi expresse concedatur; Sic Sac. Congr. Episcop. & Regular. 7. Nov. 1597. apud Pignatell. tom. 9. consulti. 170. num. 9. vers. At his: ut refert Card. Petr. tom. 4. Comment. ad consti. 8. Eugenii IV. num. 25. ubi insuper refert, Sacra Cong. Concil. in Mantuana 30. Augusti 1698. de- negasse transitum etiam ad Religionem S. Spiritus, & in Cajetana 24. Martii 1703. declarasse nullum transitum ad Religionem Canonicorum Regularium S. Antonii Viennensis, & idem tom. 5. comment. ad consti. 3. Callisti III. num. 12. refert, eandem Sac. Congreg. Concil. in Bisuntina 23. Junii 1714. censuisse, non esse concedendum Indultum transitus ad Militares, seu Hospitalarios S. Spiritus in Saxia, vel S. Antonii Viennensis.

72 Qui determinate vovit certam aliquam Religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominiaci, & hujusmodi, si principaliter, & absolute intendit vovere Religionem, & solum secundario dictam Religionem S. P. Francisci, aut S. P. Dominiaci, non liberatur à voto, quamvis non recipiatur in dicta speciali Religione, sed debet serio petere, ut ad alium Ordinem admittatur: Si vero principaliter intendit dictam specialem Religionem ob specialem affectum ad illam, sicutque Religionis ingressum non absolute per se, & in sensu diviso, sed omnino copulatum, seu in sensu composito cum dependentia à tali speciali Religione promissis; tunc serio petens, & serio ab ea speciali Religione repulsus liberatur omnino à voto; Sic S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 3. ad 3. S. Antonin. in 3. part. rit. 16. cap. 2. §. 4. Layman loc. cit. n. 3. vers. Dico secundo: cum Abulensi, Silvestro, Cajetano, Soto, Navarro, Azorio, Sanchez, Suarez ibi citatis, Sporer loc. cit. n. 161. testans de communi. Et si à tali speciali Religione semel atque iterum solum constantè probandæ causa fuerit repulsus, non liberatur à voto, ac si postea Religiosi, mutata voluntate, parati sint eum recipere, obligatur voto ad ingrediendum;

Sanchez loc. cit. n. 70. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 5. n. 45. Sporer loc. cit. n. 161. Layman loc. cit. n. 4. & alii, qui tamen excipiunt, nisi interea notabilis mutatio facta fuerit sine fraude voventis, ut si interibis disciplina sit collapsa, Monasterium destructum, si vovens interim desperans receptionem bona fide aliam Religionem ingressus fuerit, vel sponsalia inierit.

Qui vovit determinate ingredi unam Religionem laxiorem, valide, & licite ingreditur aliam strictiorem; Communis arg. cap. Licet 18. de Regularibus. E contra autem, qui vovit determinate ingredi Religionem strictiorem, & observantem, quamvis valide, non tamen licite potest ingredi, & profiteri laxiorem, & si ingrediar, est ei salutaris, & congrua poenitentia imponenda; Communis, textu expresso in cap. Qui post votum 5. de Regularibus in 6. ibi: Qui post votum à se de certa Religione intranda emisit, Religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & proficitur in ipsa, potest (voto non obstantè priori, cui tamquam simpliciter secundum solenne nescitur derogatum) manere licite in eadem, pro voto tamen non completo erit eidem poenitentia imponenda.

Qui absolute Religionem vovit, intentionem suam non satis exprimens, sed dubius manens, an voluerit se obligare solum ad ingressum, & probationem, an vero etiam ad Professionem, presumendus est se voluisse solum obligare ad experiendum, non item ad proficiendum absolute; Sanchez lib. 4. Moral. cap. 16. n. 86. Suarez lib. 4. de voto cap. 8. num. 7. Layman loc. cit. n. 12. vers. Dico 2. Sporer loc. cit. n. 163. ubi testatur sic docere communem, & securam sententiam Doctorem contra Navarr. & Rodriq. Et ratio est, quia vovens ingredi Religionem censendus est, & interpretandus in dubio vovisse ingressum secundum formam Juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis ad experiendum, an ipsi expediat inibi etiam profiteri; cap. Gonzalvus 17. q. 2. cap. Ad Apostolicam 16. de Regularibus, Concil. Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 15. & expresse docet S. Thomas in 2. 2. q. ult. art. 4. in corpore ad finem: Omnis enim dispositio simpliciter concepta vestitur à Jure communi, & ad illius intellectum est redigenda; l. 2. Cod. de Nosal. leg. Quæro §. Inter Locatorem §. Locari, cap. Causam quæ, de Rescriptis, & cap. Quemadmodum de Jurisjurando. Tum quia votorum obligatio est strictè interpretanda, & benignè in favorem Voventis, quare sicuti in dubio utrum aliquis simpliciter voverit, censendus est liber, ita etiam in dubio, utrum aliquis unum solum, an vero duo voverit, nempe, ingressum, & professionem, censendus est liber ab altero, de cujus obligatione dubitat: adeoque &c. Et sic etiam tenet cum aliis Fagnan. lib. 3. Decret. in cap. Porrectum 13. de Regul. num. 68. ubi ex verbis S. Thomæ loc. cit. sic expresse habet: Si vero in vovendo simpliciter de ingressu Religionis cogitavit absque hoc quod cogitaret de libertate exiit, vel de perpetuitate remanendi, videtur obligari ad ingressum Religionis secundum formam Juris communis, quæ est, ut ingredientibus detur annus probationis, unde non tenetur perpetuo in Religione permanere.

Qui sic Religionem ut supra vovit, debet eam sincero animo ingredi, ac se accommodare moribus Religionis cum proposito perseverandi, & proficendi; si eam sibi convenientem expertus fuerit, aliàs voto non satisfaceret, si ingredederet animo egrediendi, quia esset collusio: Est enim hoc discrimen inter eum, qui sine voto, & eum, qui cum voto Religionem ingreditur, quod ille potest saltem quoad Ecclesiam esse sola ratione libertatis exire, per text. in cap. Cum scimus 14. de Regul. ibi: Quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, cap. Statutum 23. eod. ibi: Ante Professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere infra annum, & ad summum peccat solum veniale ob animi levitatem, & inconstantiam, si sine rationabili causa à Religione discedat: Ingressus autem ex voto tenetur Religionem probare, ac si invenerit illius conditiones sibi gratas, ex vi voti obligatur ad perseverantiam, nec posset ex sola ratione libertatis ad seculum redire; & si sine rationabili causa redeat, peccat mortali-

liter ob voti prævaricationem; Fagnan. loc. cit. num. 71. Cajetan. in 2. 2. quest. ult. art. 4. resp. ad 3. dub. Navarr. l. 3. consil. 23. numer. 3. de voto edit. 2. Sanchez cit. cap. 16. num. 90. & seq. Sporer loc. cit. sub n. 163. Layman loc. cit. num. 12. vers. Dico tertio: Si tamen bona fide ingressus ex justa causa egrediatur, ut puta quia Religio ipsi consentanea non videatur, vel ab ea dimittatur, tali voto omnino liberatur: Satis enim semel præstitisse quod promissit, nempe ingredi, & experiri, an Religio sibi conveniens sit, vel ipse Religioni, cum annus probationis concessus, & status sit, tam in favorem Novitii, quam Religionis, ut & ille asperitates istius, & ista mores illius valeat experiri, textu expresso in cit. cap. ad Apostolicam 16. de Regularibus. Sporer loc. cit. sub num. 163. Sanchez loc. cit. num. 105. & 108. Layman loc. cit. num. 11. vers. Porro, & alii.

80 Qui verò expresse vovit, non solum ingredi Religionem, sed etiam profiteri, seu in ea perpetuo manere, ita adstringitur voto, ut quamvis ei Religio non usque adeo consentanea videatur, exire sponte nequeat; sicut licet ex iusta causa egrediatur, si tamen spes sit iterum recepturum iri, tenetur adhuc ex voto iterum in eandem, sive in aliam ingredi, si Religionem absolute, & in genere voverat. Et ratio est, quia votum absolute conceptum non extinguitur ob impedimentum temporale, sed tantum suspenditur, eo- que impedimento cessante dictum votum denuo obligare incipit, ut patet de eo, qui ob morbum ex Religione dimittitur; is enim postquam convalescit, iterum ingredi tenetur, si votum perseverandi, sive proficendi addiderat; non item si tantum votum ingrediendi, atque expediendi; Navarr. in man. cap. 12. num. 46. & lib. 3. consil. 21. numer. 10. de voto, Sporer loc. cit. sub num. 163. Layman loc. cit. num. 13. vers. Porro, & alii.

81 Qui absolute, & expresse vovit & Religionem, & Castitatem, si Castitatem vovit principaliter, & independentem à Religione, is si ad Religionem admissus non fuerit, vel ex ea iterum dimissus non fuerit, vel ob aliam causam egressus, obligatur adhuc voto Castitatis. Si vero Religionem vovit principaliter, & castitatem solum accessorie & dependenter à Religione, is liberatur à Voto Religionis, liberatur etiam à voto simplicis Castitatis accessorio, quia ruente principali, ruit accessorium, arg. cap. Accessorium 12. de Reg. Jur. in 6. leg. Nihil dolo 129. §. Cum principalis ff. de Regul. Jur. & leg. Cum principalis 178. ff. eod. Navarr. lib. 3. consil. 13. de Voto, (Lit. A, pag. 38. ex num. 1. ad 15. & lit. D, pag. 104. ex num. 60.) Sa verb. Votum num. 29. Sanchez cap. 16. num. 113. Layman loc. cit. n. 14. vers. Quæstio quinta: Sporer loc. cit. sub n. 163. & alii passim.

82 In dubio autem quomodo talis voverit Castitatem, an scilicet dependenter, vel independentem à Religione, si neque ex verbis Voventis, neque ex circumstantiis conjectura capi possit, post sufficientem diligentiam, tamquam in vero dubio poterit vovens eligere eum sensum voti, secundum quem minus obligatur, quique ipsi magis favet, nempe vovisse castitatem solum dependenter à Religione, sicutque liberatum etiam à voto simplicis castitatis; Sanchez loc. cit. n. 114. Suarez lib. 4. de Voto cap. 8. num. 6. Layman loc. cit. num. 14. vers. Dubitant, Sporer cit. num. 163. in fine, & alii passim.

83 Qui post dictum votum Religionis ingrediendæ, & profectæ, Episcopatum suscepit, est voti transgressor, & Episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet; cap. Per tuas 10. de voto, & voti redemptione: ubi propositio hoc casu ab Episcopo Gratianopolitano, Innocentius III. respondit: Tuæ discretioni consulimus, ut si tuam sanare desideras conscientiam, regimen Ecclesie resignes memoratæ, ac reddas Altitimo vota tuæ, cui Canon inhærens S. Thomas 2. 2. quest. 189. art. 3. ad 1. sic expresse dicit in foro conscientie esset sibi consulendum, quod omnibus dimissis religionem intraret, unde de voto, & voti redemptione cap. Per tuas, consuli-

tur Episcopo Gratianopolitano, qui post votum Religionis Episcopatum assumpserat, voto non impleto, ut si suam sanare desideraret conscientiam, regimen resignaret Ecclesie, & redderet Altitimo vota sua; & sic tenent Fagnan. in cap. Sane 10. num. 68. de Regularibus, Layman loc. cit. num. 15. cum Cajetano, Angelo, Miranda, Silvestro, Tabiena, Sanchez, Azorio, Lessio ibi citatis, & alii passim contra paucos. Intellige tamen nisi Papa dispenset.

Adstrictus voto Religionis, si contrahat Matrimonium, mortuo conjuge, tenetur Religionem ingredi; dummodo non sit inhabilis effectus propter infirmitatem, vel ætatem: Communis. Et ratio est, quia nuptiæ illi- cite celebratæ non extingunt obligationem voti, nec nullus de sua malitia commodum reportare debet; cap. Intelleximus 7. de Judiciis, l. Non fraudantur 134. §. 1. ff. de Reg. Jur. Secus autem si jam factus esset inhabilis, quia impossibile nulla est obligatio; l. Impossibile 185. ff. de Reg. Jur. & cap. Nemo potest 6. de Reg. Jur. in 6. (Lit. A, pag. 111. num. 88. & lit. D, pag. 91. num. 43. ad lit. E, pag. 175. num. 51. Suprà num. 57.)

Qui est aliquo voto simpliciter obstrictus, solvitur omnino ab ejus obligatione per ingressum, & Professionem Religionis approbatæ: Communis, textu expr. in cap. Scriptura 4. de voto, & voti redemptione, ibi: Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur Religionis observantiam commutare.

In dubio, quando nec ex intentione voventis, nec ex forma, & usu verborum, nec ex natura materiæ, nec ex aliis circumstantiis aliter colligi possit, interpretatio voti est semper faciendâ strictè in favorem Voventis, ita ut liberum illi sit utramlibet partem dubii eligere: Communis, arg. cap. Ex parte 18. de censibus, l. Quidquid adstringendæ obligationis 99. ff. de verb. obligationibus, l. Semper in stipulationibus 34. ff. de Reg. Jur. cum similibus.

Unde qui vovit rem indeterminatam, sive in quantitate, numero, & mensura, ut dare elemosynam; sive in qualitate, ut dare vinum, frumentum, panem &c. non decernendo cujus bonitatis, sive in individuo, ut dare ovem, bovem, equum &c. non determinando quamnam ovem, quamnam bovem, aut equum, satisfacit voto dando in quacumque etiam minori quantitate, qualitate, vel individuo statui suo non repugnante: Communis, per text. in cit. cap. Ex parte 18. de censib. ubi statuitur, quod in dubio de qua mensura, majore ne, aut minore vota edita sint: Valentes solvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt à viris ecclesiasticis exigenda; ne tamquam exactores videantur lucris temporalibus inhære, ubi Glossa verb. Ab initio dicit: Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur. Et ratio est, quia ubi agitur de obligatione, stricta interpretatio faciendâ est; l. Quidquid adstringendæ obligationis 99. ff. de verborum obligationibus, & in dubiis non sequimur quod maximum est, sed quod minimum, ut expresse dicit Glossa in c. cap. Ex parte verb. Primo casu: per text. in leg. Nummis 75. ff. de legatis 111. ibi: Nummis indistincta legatis hoc receptum est, ut exigentis legatis censeantur, leg. Semper in stipulationibus 34. ff. de Reg. Jur. ibi: Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

Hinc qui vovit elemosynam indeterminatam, satisfacit dando quamlibet statum suum non decentem. Qui vovit dare oleum pro lampade accendenda, dubitat autem, an oleum olivæ, vel lini, aut nucis, potest dare etiam deterius, si usus sit in ea Ecclesia. Qui vovit dare ovem ex suo grege, & dubitat, an meliorem, seu deteriorem, potest dare etiam inferiorem. Qui vovit peregrinationem, in dubio de modo, potest peregrinationem adimplere equis. Qui vovit dare unam ex suis vestibus, & dubius est, an debeat pretiosorem, vel minus pretiosam, satisfacit dando minus pretiosam, & sic de similibus: Sic Doctores communiter.

BIBLIOTECA CENTRAL